



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXLI. Christus se asserit Lucem Mundi, & Filium Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

to sis , ne audeas lapidis loco aspera in Proximum tuum verba jactare , aut dure eum habere . Nam hunc saltem Misericordiæ fructum vult Devs , ut ex peccatis nostris reportemus ; Misericordes enim Misericordiam consequentur .

PUNCT. III. *Et iuerum se inclinans , scribebat in terra . Audientes autem* (id est , per scripturam loquenti , & cuivis sua occulta peccata detegenti , aurem mentis præbentes) *unus post unum exhibant , incipientes à Senioribus , & remansit solus IESVS* (ex illis personis spestantibus ad hoc judicium ; nam extra has mansit etiam reliquus populus) *& mulier in medio* (populi manentis) *stans . Confusi enim Pharisei & Scribæ timebant* , ne à Christo publicè proderentur , ac nominarentur , & peccatorum , quæ quisque legebat , palam rei proclamarentur . Cogita , quanta sit futura confusio & pudor , quando in extremo die Judicij omnia nostra occulta peccata in omnium Intellectibus scripta manifestabuntur , & quando non poterimus declinare infamiam . Itaque Christo scribendi materiam nullam præbeas ; nam , ut D E V M alloquens Jeremias c. 17. v. 13. inquit : *Omnes , qui te derelinquent , confundentur ; recedentes à te in terra scribentur , quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum .*

M E D I T A T I O CCCXLI.

*Christus se asserit Lucem Mundi ,
& Filium DEI . Joan. 8.*

PUNCTUM I. Iterum ergo locutus est ei IESVS dicens :

S 4

Ego

Ego sum Lux Mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit Lumen Vitæ. Joan. 8. v. 12. Postquam Scribæ & Pharisei, Christi in Templo docentis Sermonem, quæstione ex Mosaica Lege desumptâ adultera muliere lapidandâ, captiosè interruperant Christus sermonem suum resumens iterum locutus est, dicens, se esse Lucem Mundi; quemadmodum enim Sol lucis suæ radios diffundit per totum Mundum ad illuminandos omnium oculos; ita aiebat Christus, Veritate suæ Doctrinæ, & Sanctissimæ Vitæ suæ Exemplis illuminari omnium hominum mentes; ideo S. Joannes c. 1. v. 9. de ipso testatus est: *Era Lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc Mundum.* Nam ante Christi adventum homines plurimas & ad Salutem utilissimas veritates vel omnino ignorabant, vel obscurissimè cognoscebant, ac velut in tenebris sedebant. In Cantico autem & Vaticinio Zachariæ S. Lucas c. 1. v. 79. de Christo haec verba refert: *Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Joannes Baptista in Evangelio Joan. c. 5. v. 35. Solum dicitur *Lucerna ardens & lucens.* Et c. 1. v. 8. exprestè de illo habetur: *Hic venit, ut testimonium perhiberet de Lumine, ut omnes crederent per illum.* Non erat ille Lux, sed ut testimonium perhiberet de Lumine. Sed Christus, Sol Justitiae, verè fuit Lux Mundi; & licet ipse Matth. 5. v. 14. etiam Discipulis suis dixerit: *Vos estis Lux Mundi;* iesi tamen solum, velut stellæ participantes de Luce solari. Lux Mundi dici merebantur, quatenus scilicet Christi Doctrinam, & Vitæ Sanctitatem per totum Mundum prædicando dispergebant. Tu ergo omnes tuæ actiones Doctrinæ & Exemplo Christi conforma. Ipsi enim

enim teste Kempenfi Doctore lib. I. c. I. promisit & dixit: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit Lumen Vitæ: nempe Lumen Gratiæ, quo obtinetur Vita Æterna, & Lumen Gloriæ, quo possidetur Vita Æterna.*

PUNCT. II. *Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Respondit JESVS, & dixit eis: Et si Ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio, unde venio, & quò vado. Vos autem nescitis, unde venio, aut quò vado. Vos secundùm carnem judicatis. Ego non judico quemquam (supple: secundùm carnem, scilicet nec me, nec alium) Et si judico Ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed Ego, & qui misit me, Pater. Vifus est Christus Pharisæis, appellando se Lucem Mundi, seipsum vanè laudâsse, & testimonium ejus non esse legitimum, eò quòd de seipso testanti fides non debeatur. Ostendit itaque Christus, suum testimonium nec vanum, sed necessarium; nec falsum sed certum, adeoque etiam legitimum esse. Necesse enim erat ad Salutem hominum, ut Christus ab ipsis agnosceretur; non poterat autem ab ipsis agnoscî, quia tantùm secundùm carnem, id est, secundùm sensus externos, & carnis ac depravati judicij prudentiam judicabant, latenter Christi Divinitatem non percipientes. Ideo debebat seipsum illis manifestare, Et quia ipse de se habebat certam Scientiam, quòd à DEO exiisset, & iterum ad D E V M in Cælum, tanquam locum sibi debitum redditurus esset, utpote Filius D E I; & quia ipse non secundùm carnem judicabat, atque judicium ejus cum Patris Cælestis judicio consentiebat; idcirco testimonium illius*

illius erat omnino certissimum. Hinc disce à contrario causam, cur nos homines, nec nos ipsos laudare debeamus, nec laudem appetere: quia nos ipsi (idem sentiendum est de ijs, qui nos laudant) secundum carnem judicamus; & alia de nobis sunt iudicium DEI, alia nostra, vel hominum.

PUNCT. III. Circa verba prædicta, *Sciò, und venio, & quò vado*, à Christo prolatæ, considera & ru-
nde venias, & quò vadæs. Nimirum memento, homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris: e-
terra venis, & in terram redibis; sed quò interea
Anima vadat, nescis. Confide tamen in verbis Chri-
sti, ita suos consolantis Joan. 14. v. 2. *Vado parare vobis locum.* *Et si abiéro, & præparaverò vobis locum:* ita
rum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum Ego
& vos sitis. *Et quò Ego vado, scitis, & viam scitis & Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Itaque hanc viam, Chri-
stum videlicet præeuntem, sequere: & sic eò vades,
quò Christus.

MEDITATIO CCCXLII.

Continuatio eiusdem Argumenti.

Joan. 8.

PUNCTUM I. Dicit ergo iterum eis JESUS: *Ego vado* (scilicet ad Patrem meum) & quæretis me (id est, propter incredulitatem vestram quæretis vobis adhuc Messiam, qui tamen Ego ipse sum; adeoque meipsum adhuc quæretis, quia non cognovistis) & in peccato vestro moriemini &c. (Si nempe perseverabis in peccato infidelitatis, morte æterna moriemini) *Et dice-* bat ei Mun
vobis
deriti
mea
riemi
fit ca
rint
insin
ita p
& ve
vest
citi
dum
quar
sapi
cato
ricul
simil
ve e
de M
rena
cogn
doct
tum
tunc
qui c
muer
te, q
voce
temp
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN